



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 84. Michael Radziejowskius Cardinalis fatis functus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII. turæ Referendarius, & Protonotarius, A. C. 1705 a Clemente XI. Cubiculi Pontificii Præses, demum ab Innocentio XI. Cardinalis, & Viterbiensis Episcopus renunciabatur. Amplioribus tamen dignitatibus aditum interclusit adversa valetudo; quippe apoplexia tactus, per plurimos annos lecto affixus hæere cogebatur; tandem vero die octava Aprilis Romæ anno ætatis suæ sexagesimo quinto miseram vitam cum feliciori morte commutavit.

§. LXXXIV.

*Michael Radziejowskius Cardinalis
fatis functus.*

*Zalusky
epist.*

Pariter vivis, simulque adversitatibus mors hoc anno eripuit Michaelen Radziejowskium. Hic illustrissimis suis Parentibus brevi orbatus, sumptibus Mariæ Ludovicæ Poloniæ Reginae adolevit, atque ab eadem Parisios missus, in humanioribus non modo disciplinis, sed etiam Historia, Geographia, & Politia tantum profecit, ut ob vastam eruditionem, necnon Germani, Gallici, Italici & latini sermonis elegantiam omnibus se admirabilem præstaret: Sagum induere intentus, cunctis Nobilium exercitationibus strenue vacabat; ast cujusdam Nobilis

Maza-

Mazarino Cardinali propinqui mortem ex lapsu accelerasse infimulatus, ut affinium vindictam declinaret, ex Francia in patriam reversus est, ubi sacrae militiae nomen dedit, ac primo Warsaviae Canonatum & Cracoviae Praeposituram, postea Kioviensem Episcopatum obtinuit. Nec hic gradum fixit praecipua fortuna; Reginae enim patrocinio suffultus, atque a Joanne Sobiesckio Rege ad pinquissimum Warmiensem Episcopatum nominatus, supremus Regni Procancellarius renuntiabatur: omnes tamen hosce proventus Ecclesiasticos ad restaurandas ornandasque Diocesum suarum Ecclesias, necnon ad bellum Turcicum impendebat: Pia hac liberalitate adeo sibi beneficium reddebat Innocentium XI. ut ab eo ultro, & absque ullius sollicitatione Romana Purpura decoraretur. Mox a Rege Gnesnensis Archiepiscopus & Regni Primas nominatus, pompae splendorem, corporis cultum, ac famulorum frequentiam juxta dignitatum amplitudinem metiebatur, quin tamen pauperum oblivisceretur: praeterquam enim, quod pro Religionis Catholicae augmento, & piis foundationibus immensas ferme divitias effunderet, etiam Lovitzii splendidam oppidum pro Missionariis, duos Con-

Saec. XVII.
A. C. 1705.

Sæc. XVII. A. C. 1705 ventus pro PP. Capuccinis, & Monasterium Varſaviæ pro Carmelitis ære suo erigi curavit, & quamplurimas Ecclesias & Monasteria variis in locis dotavit, atque in egenos Nobiles ingentem auri vim profudit: Harum tamen virtutum splendor prævalente æmularum invidia haud poterat lividorum oculos usque adeo perstringere, quin innocuum Cardinalis consortium cum Catharina Constantia Towianskii Palatini Lencziczensis uxore incontinentiæ nota appeterent: integra autem calamitatum series inſequēbatur Cardinalem, dum mortuo Rege Polono totius Reipublicæ summam administrare ceperat: ita nempe fulmina plerumque cacumina feriunt; cum enim in novi Regis electione neutri contendentium parti duplicere, artificiosa simulatione fatigaret, omnium in se concitavit indignationem, & a Polonis tanquam patriæ proditor, ab Augusto Rege velut capitalis Regni hostis, a Sueco cœcæ fœditragus vexabatur: Tanta adversitatum congeries, ac præcipue fastidium ex eo conceptum, quod sine ipsius consensu duos Reges Augustum & Stanislaum a Polonis coronari cerneret, adeo ipsius animum oppressit, ut febri obreptus, octavo post die decima tertia Octobris Gedani e vivis excederet, postquam

quam Pontificis Bullam, qua anathemate percussus, omni dignitate exutus declarabatur, valvis Gedanensium Ecclesiarum publice affixam intellexerat: Annum attigerat ætatis sexagesimum, Purpuræ vero decimum nonum.

Sæc. XVII.
A. C. 1705.

§. LXXXV.

Caroli de Tournon Legati Apostolici decretum contra Ritus Sinenses.

Insignem prorsus locum in Historia Ecclesiastica sibi vendicant summo ardore agitata dissidia circa Ritus Sinenses, indeque exorta Caroli Thomæ de Tournon Commissarii Apostolici fata, calamitates, & gloriosa, ac martyrii æmula mors: Hujus facti veritas certius erui nequit, nisi ex testimoniis illorum, qui non modo cœvi, sed & oculares, præsentisque testes erant: nec horum tamen auctoritas hucusque tantas obtinuit vires, tantamque inspiravit reverentiam, ut alterutra contentium pars hujus facti veritatem omnino decisam, certam, ac minime dubiam communi judicio crederent; cum enim iidem testes simul essent partes & testes, tam horum rituum Assertores, quam illorum hostes mutuo sese de partium studio incusant: inde vero hujus Historiæ relatio adeo intricata & diffi-

Apolog. des J'es. sur la conduit. dans les Aff. de la Chine Bahr noviss. Sin. not. Difesa del decr. di Tourn. dal P. Lucino Expos. fatti de Sin. controv. Relat. de la nouv. Pers. de la Chine.